



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XX. De quodam cultu superstitioso abolendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
...  
1511

& negotia regni , vtilitatesque reipublicæ magis  
perturbent , quam disponant : cum indecens sit ,  
& etiam inter barbaras gentes reprehensibile , mu-  
lieres virorum causas discutere : & quæ de lanificiis  
suis , & operibus textilebus , & muliebribus , inter  
genitiarias suas residentes , debuerant disputare , in  
conuentu publico , ac si in curia residentes , sena-  
toriam sibi usurpat auctoritatem. Quæ ignomi-  
niosa præsumptio fautoribus magis imputanda vi-  
detur , quam feminis. Vnde , quia diuinæ leges , vt  
supra monstratum est , hoc contradicunt , & hu-  
manæ nihilo minus id ipsum prohibent , vt feminæ  
nihil aliud prosequantur in publico , quam suam  
causam : (ait enim lex Theodosiana : Nulla ratione  
feminæ amplius quam suas causas agendi habeant  
potestatem , nec alicuius causam a se nouerint pro-  
sequendam;) idcirco ex auctoritate canonica inter-  
dicimus , vt nulla sanctimonialis virgo , vel vidua ,  
conuentus generales adeat , nisi a principe fuerit  
euocata , aut ab episcopo suo : nisi forte propriæ  
necessitatis ratio impulerit , & hoc ipsum cum li-  
centia episcopi sui.

Interpret.  
L.v.Cod.  
Th. De co-  
gnitor. &  
procur.

## X X.

Iuo Part.  
ii. cap. 38.

Summo decertare debent studio episcopi , &  
eorum ministri , vt arbores dæmonibus consecra-  
tæ , quas vulgus colit , & in tanta veneratione ha-  
bet , vt nec ramum vel surculum inde audeat am-  
putare , radicitus excidantur , atque comburan-  
tur. Lrides quoque , quos in ruinosis locis & sil-  
uestribus dæmonum ludificationibus decepti ve-  
nerantur , vbi & vota vouent & deferunt , fundi-

ANNO CHRISTI  
897. **tus effodiantur , atque in tali loco proiiciantur , vbi nunquam a cultoribus suis inueniri possint. Et omnibus annuntietur , quantum scelus sit idololatria: & quod qui hæc veneratur & colit , quasi Deum suum negat , & Christianitati abrenuntiat , & talem pœnitentiam inde debet suscipere , quasi idola adorasset. Omnibusque interdicatur , vt nullus votum faciat , aut candelam , vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat , nisi ad ecclesiam Dominu Deo suo. Scriptum est enim : *Vonete & redite Domino Deo vestro.* Nouimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos interminatus est , qui in lucis sacrificabant , & in excelsis immolabant. Si quis hoc transgressus fuerit , fidem perdidit , & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo a sanctæ ecclesiæ confortio abscedatur , & nisi digne pœnituerit , non recipiatur.**

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium Namnetense.* ] De epocha huius Concilii sine auctoritate pronuntiare difficile est. Sed cum duo eius Canones , III. & x. inde translati videantur in librum VII. capitularium , antiquius omnino dici necesse est , quam existimarint ii , qui sub annum Christi DCCCC. collocandum censuerunt. Quod si quis ad Concilium illud Namnetense referri velit , quod Vitaliani papæ temporibus sub annum DCLVIII. magna episcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus , liberum esto iudicium.

VITA  
STEPHANI PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI  
897. **S**TEPHANVS sextus successit Formoso : Bonifacius Bonifacius  
inuafors-  
dis. enim , qui inuadens sedem apostolicam tenuit eam diebus quindecim , non est numerandus inter pontifices;